

DISQUISITIONES  
DE  
INTOXICATIONE ACUTA PHOSPHORO  
EFFECTA.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA

DORPATENSI

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PALAM DEFENDET

DIE XVIII MENSIS SEPTEMBRIS

AUCTOR

**EDUARDUS MEYER,**

LIVONUS.



---

**DORPATI LIVONORUM.**

T Y P I S E . J . K A R O W I .

---

**MDCCCLXI.**

I m p r i m a t u r

haec dissertatio ea lege, ut, simulae typis fuerit excusa, numerus exemplorum lege praescriptus tradatur collegio ad libros explorandos constituto.

Dorpati Livonorum d. XIII. m. Septembr. a. MDCCCLXI.

*M* 218.  
(L. S.)

*Dr. Rud. Buchheim,*  
med. ord. Decanus.

DL4185

# **FERDINANDO MEYER**

**VERBI DIVINI IN PAROCCHIA JEVENSI MINISTRO**

**PATRI OPTIMO CARISSIMO**

**D. D. D.**

**FILIUS.**

In impigro strenuoque disciplinarum naturalium progressu auctorum minus in arte versatorum conatus jam dissertatione inaugurali novi aliquid ad ea, quae tum viri scientiae peritissimi tum tirones undique in doctrinae usum conferunt, adjiciendi anceps atque dubius esse videatur.

Sic hujus quoque opusculi auctor ipse sibi quam persuassimum habet, commentationem suam haudquaquam eam esse, quae auspiciis viri doctissimi ac praceptoris illustrissimi, qui in illa elaboranda eximia cum liberalitate et consilio et re sibi adfuerit, ullo modo respondere queat, idque eo minus, quod recentissimas de re proposita pervestigationes tum demum adire licuit, quum suis ipsius disquisitionibus jam finem impoauerat, quo factum est, ut maxime experimenta a Lewin instituta iterare non contingere.

Denique mihi liceat praceptoris summe venerando professori Buchheim intimo animo auxilii mihi praestiti gratias persolvere quam plurimas.

Praeterea facere non possum, quin hac occasione usus grato animo egregia professoris J. ab Holst, viri celeberrimi,

erga me merita commemorem, qui fere totum per annum, quo medici auxiliarii in nosocomio obstetricio munere functus sum, et summa me fide impertierit et omni tempore animo promptissimo opportunitatem mihi praebuerit artis scientiam locupletandi, cujusque singulari benevolentia atque benignitate hoc quoque mihi contigerit, ut tempore exercitationibus clinicis vacuo pervestigationes has ad finem perducere possem.

---

## Prolegomena.

Postremis his saeculi nostri decenniis artis medicae litterae  
haud exiguo disquisitionum numero, quibus phosphorus, prae-  
sertim ad vim ejus toxicam quod attinet, diligentius pervesti-  
gatur, auctae atque locupletatae sunt. Quod quidem eur nunc  
demum factum sit, si quaesierimus, quum haec materia ante  
fere omnino oblivioni data fuisset, hujus rei causam maxime in  
eo repositam esse cernimus, quod recentissimis demum tempori-  
bus, ad quosnam varios usus technicos materia, de qua agitur,  
adhiberi possit, certiores facti sumus. — Quo evenit, ut non  
modo in substantia illa ad varios usus elaboranda magna ope-  
rarum multitudo versetur, sed illa etiam jam elaborata modis  
quam plurimis in hominum consuetudinem usumque pervenerit,  
qua re factum est, ut brevi tempore phosphoro incautius tra-  
ctando multis intoxicationibus causa afferretur. Itaque fieri non  
potuit, quin noxius hujuscem substantiae ad animalium organis-  
mum effectus, de quo quidem antea vix ulla suspicio fuerat,  
brevi in omnium notitiam veniret, scelestoque subsidium, quod  
facile sibi comparare posset, ad perpetrandum maleficium in  
promptu esset. Quam ob causam beneficia ope phosphori effecta,  
quae prioribus temporibus fere nulla fuerant, nostra aetate non  
ita raro deprehensa fuerunt. Ex censibus enim statisticis, quos  
Lewin<sup>1)</sup> in medium protulit, usque ad annum hujus saeculi  
quadragesimum tertium quattuor modo beneficij phosphoro effecti

---

1) Archiv für pathologische Anatomie von Virchow Vol. XXI. 1860. Studien über Phosphorvergiftung von Dr. Georg Lewin.

casus innotuisse, ex illo autem tempore plus centum beneficia, de quibus res in judicium venerit, comperta atque promulgata esse videmus.

Quodsi omnibus hodie persuasum est, phosphorum intervenena, quae nobis cognita sint, efficacissima habendum esse noxiandumque hujus materiae vim satis saepe probatam fuisse, non minus doctrinae intererat, ut ratio modusque, quo haec intoxicatio efficieretur, rite perquireretur, quam, medicinae practicae respectu habitu, maximi momenti fuit, ut antidoton ejus modi intoxicationum inveniretur. Qua in re quum ad hunc diem, id quod vehementer dolendum est, non ultra perventum sit, quam ut omnia, quae tentata sunt, antidota fini proposito neutriquam satisfacere intellectum sit, hoc jam per se argumento esse potuerit, hypotheses de modo, quo intoxicatio fieret, prolatas, quibus innixi remedia, de quibus diximus, proposuerant, parum certas verasque fuisse. — Quodsi tantum rationibus hisce, quas commemoravimus, recte perspectis, ut omittam, quanti has rite erui doctrinae intersit, contingere potest, ut reperiendi antidoti via aperiatur, nostris perscrutationibus, quas jam prolaturi sumus, is propositus erat finis, ut, quae de hac quaestione adhuc promulgatae essent, pervestigationes cum nostris ipsorum disquisitionibus compararemus atque illas rerum conditiones, quibus phosphorus vim suam perniciosa exhiberet, accuratius cognoscere conaremur. Qua in re ab ipso initio praemittam oportet, me, necroso phosphoro effecta aliisque intoxicationis chronicae phaenomenis, qualia in operis hac materia elaboranda occupatis observata sint, omissis, solum de acuta intoxicationis forma acturum esse.

## Pars I.

### De mutationibus in animalium corpore phosphoro effectis.

---

Ad quaestionem, in qua maxime versarer, tractandam antequam accederem, haud alienum esse judicavi, meis ipsis experimentis mihi persuadere, quasnam potissimum mutationes phosphorus in ventriculum illatus in corpore provocaret, quantaeque ad efficiendas istas mutationes necessariae essent doses, ac quanto temporis spatio vis substantiac letalis exsisteret. Quem in finem haec experimenta instituta sunt.

#### Experimentum I.

Feli adultae phosphori in quinque frustula parva divisi et cum pulte farinaria in pilulae formam redacti gram. 0,1 ita invecta est, ut pilula in animalis fauces immissa devoraretur. Inde, quum triduo insequenti nulla in animali phaenomena morbi in conspectum venissent, die quarto anorexia ingruit, simulque stupor quidam cum somnolentia exstitit, atque animal, praesertim posteriore corporis parte, non nisi difficulter moveri poterat. Dejectae sunt nonnullac alvi colore sanguineo tinctae, quo facto, animal, horis 128 post venenum assumtum transactis, convulsionibus mortem comitantibus, periiit.

Cadaveris sectio dimidia hora post instituta haec docuit. Cavum oris, fauces, oesophagus nec non trachea nihil memoratu dignum ostenderunt. Pulmonum uterque sanguine abundabat, cor se normale praestabat, nisi quod vasa majora dextrumque cordis dimidium haud exigua sanguinis intense rubri, non coagu-

lati copia impleta cernebantur, corde sinistro vacuo. In ventriculi fundo membrana mucosa emollita ac rubefacta, ibidemque plurimis ulceribus parvulis, quorum nonnulla usque in tunicam musculararem pertinebant, obiecta cernebatur. Superior intestini tenuis pars parum inflammata, inferior autem, ubi locis nonnullis ulcera granorum cannabis magnitudinem adaequantia conspiciebantur, magis inflammata apparuit, quae ulcera massa quadam coloris fusci tecta erant. In ceteris organis nihil, quod a norma discederet, observari potuit.

#### Experimentum II.

Cuniculo adulto validoque eodem, quo diximus, modo pilulae duae, quarum utriusque 0,03 gram. phosphori inerant, ingestae sunt. Biduo subsequenti animal satis bene se habere videbatur, at die tertio, excepta anorexia, magna in conspectum se dedit lassitudo atque debilitas, subinde spasmis clonicis interrupta, quibus mortem comitantibus animal, horis 58 post intoxicationem praeterlapsis, extinctum est.

Cadaveris sectio post semihoram facta oesophagum tracheamque omnino integra, pulmonem sinistrum infiltratum, in ejusque superficie ecchymoses parvas, pulmonem dextrum vero minus affectum, cor ceterum normale, attamen sanguine fusco, non coagulato valde inpletum ostendit. Ventriculi membrana mucosa ad cardiam vasa parum turgentia obtulit, qui quidem turgor in fundo ventriculi multo major apparuit, in quo tela relaxata mucoque viscido obiecta cernebatur. Hic illic erosiones non ita profundae animadverti potuerunt, ulceribus profundioribus nusquam inventis. Ex ventriculi contentis phosphori vapores exhalabantur. In intestini tenuis parte superiore membrana mucosa relaxata ope cultri facile destringi potuit, satisque rubefacta erat, in parte inferiore vero non mutata se praebuit. Item intestina crassum rectumque prorsus normalia fuerunt, nec quidquam pathologici ceteris in organis deprehendi potuit.

### Experimentum III

Cuniculo adulto granum dimidium phosphori in 2 olei amygdalarum serupulis soluti porrectum est; quem in finem catheter elasticus per oesophagum usque in ventriculum immisus per eumque phosphori solutio injecta est. Quae solutio, quo facilius transiret, antea cum gummi Arabico et aqua destillata in emulsionem unciae dimidia contrita fuerat. — Solutione injecta, quum animal primo omnino quietum fuissest, horis 2½ exactis, convulsiones ingruerunt, quas, horae quadrante praeterlapso, mors secuta est.

Cadaveris sectione post horac sexagesimas 10 instituta, totus tractus intestinalis, exceptis plurimis ecchymosisibus, quae capitulo aciculae magnitudinem adaequantes in ventriculi superioresque partis intestini tenuis superficie conspiciebantur, ceterum non mutatum se exhibuit. Pulmonis sinistri pars inferior admodum infiltrata apparuit, superior vero minus; pulmo dexter a norma non abhorruit. — Cor, praesertim dimidium dextrum, sanguine fusco, male coagulato, impletum fuit. E ventriculi contentis vapores satis largi, phosphorum redolentes, effundebantur.

Quibus experimentis non ita multis tamen acquiescere posse visus sum, quippe quae prorsus eundem praebuissent eventum, quem Schuchardt<sup>1)</sup> et in suis ipsius experimentis obtinuerat, et in multis aliorum, quae collegit, experimentis observatum esse testatur. Cui viro docto facere non possum quin adsentiar, phosphorum ad venena efficacissima, quae novimus, referendum esse affirmanti, cuius vel minor quam unius grani copia felibus cuniculisque data ad mortem efficiendam sufficiat. Deinde mea quoque experimenta hoc venenum, praesertim substantia porrecta, plerumque eximias membranae

---

1) Zeitschrift für rationelle Medicin. Neue Folge. Vol. VII. fascic. 3:  
Untersuchungen über acute Phosphorvergiftung von Dr. Baroch. Schuchardt.

mucosae et ventriculi et tractus intestinalis commutationes officere coarguerunt. Aliis autem in casibus, in quibus phosphori vis et effectus etiam multo celerius se ostendit, siquidem illius solutio infecta fuerat, localia in tractu intestinali phaenomena aliquanto minoris momenti apparuere; semper vero sanguis admodum fuscus cernebatur ac plerumque coagulandi facultato exutus fuerat.

---

## Pars II.

### De modo, quo phosphorus vim suam toxicam exhibeat.

Rerum conditiones quod attinet, quibus phosphorus vim noxiā habere queat, duobus id modis potissimum fieri posse, statuere licuit. Namque aut 1) phosphorus ipse per se effectum exhibet, aut 2) phosphorus per se quidem haud nocet, sed oxydationis producta ex eo efformata valent, quae aut antequam resorbeantur aut resorpta in animalium organismo vim istam perniciosa funestamque exhibeant.

#### Caput I.

Quaeritur, num phosphoro ipsi per se vis toxica insit.

Evidem quod sciam, omnium primus professor Buchheim<sup>1)</sup>, vir illustrissimus, sententiae illius patrocinio suscepto, in suo de materia medica compendio conjecturam posuit, fortasse ozon in phosphori oxydatione conformatum in mutationibus istis, quo, veneno illo assumto, appareant, efficiendis partes quasdam agere posse. Schoenbein, vir clarissimus, uti primus demonstravit, phosphori ad aëris atmosphaericī effectum expositi combustionem non exigua ozontis conformatione stipatam esse, ita omnium primus, quod ad oxygenii activi qualitates spectat, ejus copiam majorem cum substantiis organicis in contactum adductam perniciosa in iis vim exhibere probavit. Quac ozontis qualitas etiam compluribus expe-

---

1) Buchheim, Arzneimittellehre. 1853—1856 p. 380.

rimentis factitatis confirmari potuit, quoniam, illo per tubulos e gummi elasticō confectos ducto, prout hic effectus aut brevius aut longius per tempus tenerat, tubuli nunc minus nunc magis affici cernebantur. Quod quum ita esset, prompta ac facilis erat conjectura, in tractu intestinali quoque vel in sanguine, ubi quidem phosphorum necessariam, qua oxydaretur, oxygenii copiam reperire necesse foret, largam ac copiosam ozontis conformatiōnē fieri, atque phosphori vim perniciōsam toxicamque ex hac ozontis efformatione repetendam esse. Quae conjectura si quidem vera habeatur, necesse foret, corpus organismo innoxium, quod, oxygenio accedente, facile oxydaretur, quoque tamen conjunctione inita rursus substantia innoxia formaretur, post phosphori receptionem in ventriculum illatum illius vim nocivam tollere ideoque remedium adversus intoxicationes phosphoro effectas suppeditare.

Hujus modi substantiam nobis natron hyposulfurosum praebet, quod oxygenio accedente facile in natron sulfuricum permūtari satis constat. Qua substantia in finem nobis propositum eum in modum uti placuit, ut animali, cui phosphori copia ad ejus intoxicationem sufficiens ingesta esset, certa natri hyposulfurosi copia praecberetur, quo facto, prout aut finem letalem hoc modo impedire liceret, aut non contingere, quaestio, num ozon in intoxicationibus ope phosphori effectis aliquas partes ageret necne, quam certissime explicari atque transigi posset.

Quum ad hoc usque tempus compertum non sit, num forte natron hyposulfurosum aliquam vim directam ad ozontis conformatiōnē habeat, priusquam ad experimenta in animalibus suscipienda accederem, experimentis extra organismum animalium faciendis mihi persuadere conatus sum, num natron hyposulfurosum revera ozontis efformationi impedimento esse valeret.

Quo consilio quum nonnulla phosphori frustula, addita aquae copia exigua, in vas vitreum immissem, inde chartae

resegmen, glutine amylaceo, cui paululum kalii jodati adjectum erat, illitum, imposui. Gluten amylaceum, aliquot horae partibus ter milesimis sexcentesimis circumactis, colorem intense caeruleum induit, quod idem, glutinis amylacei copia in lagenam ipsam instillata, fieri observavimus.

Eodem modo, non phosphori frustulo, sed oleo phosphorato, quod phosphori gr. xij in olei amygdalarum ʒj solutis obtinueram, in lagenae fundum immisso, color caeruleus exsistere cernebatur.

Unde, in omnibus, quae attuli, experimentis largam ozontis copiam efformatam esse, luculenter apparet. — Verumtamen, parva natri hyposulfurosi in aqua destillata soluti copia in lagenas, quibus phosphori aut ipsa substantia aut solutio inerat, infusa, qua in re non omissa est cautela phosphori adhibita hac solutione non obtegendi, ne forte sic impediretur, quominus aëris atmosphaericci effectu oxydaretur, semper, quamvis experimentis saepius repetitis, etsi acidi phosphorosi vapores permulti efflabantur, tamen color iste caeruleus observari nequiiit. Atque tum quoque, quum phosphorus jam per longius temporis spatium lagenae infuerat ideoque jam major ozontis copia in illa potuerat colligi, id quod, glutine amylaceo, cui kalium jodatum additum fuerat, extemplo colore caeruleo tincto, facile apparuit, gluten, natro hyposulfuroso adjeeto, colorem suum nullo modo mutavit, quin etiam gluten jam caeruleum factum colorem pristinum recepit.

Ex quibus experimentis, natro hyposulfuroso ozontis efformationem ita impediri, patet, ut hujus effectu in natron sulfureum transformetur, eoque modo oxygenium activum, si quid jam conformatum sit, destruat.

Altera autem virtus, qua natron hyposulfurosum, ut in finem propositum utiliter adhiberi queat, instructum sit necesse est, eo consistit, ut in ventriculum ingestum nihil damni affe-

rat. — Itaque, quum investigationes meas in felibus cuniculisque facere constituisse, experimentis jam enarrandis, num haec animalia salem illum nullo damno perferrent, eruere conatus sum.

#### Experimentum I.

Feli adultae natri hyposulfurosi grammata 10 in aquae destillatae grm. 40 soluta in ventriculum injecta sunt, quo facto, quamquam animal optime sese habuit brevique post tempore rursus cibos assumxit, tamen, semihora transacta, vomitus ingnuit. Duabus post injectionem primam horis praeterlapsis, eadem solutionis copia porrecta est, quam tamen statim post canulam protractam animal evomuit. Die insequenti, quum eadem solutionis quantitas in ventriculum illata esset, vomitu non exorto, decima post injectionem hora alvus liquida dejecta est. Animal, valetudine ceterum neutiquam turbata, jam post octo dies aliis adhiberi potuit experimentis.

#### Experimentum II.

Cuniculo adulto natri hyposulfurosi grm. 5 in aquae destillatae grm. 25 soluta in ventriculum injecta ad animalis valetudinem nullam ne minimam quidem vim exhibuere. Horis 10 interjectis, altera ejusdem doseos injectio et, horis 24 circumactis, tertia instituta est, qua in re cuniculus et optime se habuit et cibos cum appetitu assumxit, ita ut, diebus 10 exactis, ad experimenta jam exponenda adliberi posset.

Et ipse, a grammatis 2 exorsus, natron hyposulfurosum, dosibus usque ad grm. 20 adanctis, sumsi, valetudine tamen nullo modo turbata. Dr. Trachtenberg<sup>1)</sup>, qui, medicamine eodem ad suas disquisitiones usus, doses tamen usque ad grm. 40 auxerat, copiis majoribus assuntis, diarrhoeas magis minusve

1) Zur Frage über die Neutralisation überschüssiger Alcalien im Blut. Inaugural-Dissertation von Adolph Trachtenberg. Dorpat 1861.

copiosas neque cum colica neque cum tenesmis ullis conjunctas effici, valetudinem vero praeterea haudquaquam turbari observavit.

Quae experimenta natron hyposulfurosum vel majoribus copiis assumitis, ubi plurimum, diarrhoeam excitare, ceterum autem pro remedio prorsus innoxio habendum esse probant.

Jam reliquam erat, ut inquirerem, num haec substantia ad perniciosa phosphori vim prohibendam valeret, quod perscrutaturus haec experimenta instituenda censui.

#### Experimentum I.

Feli adultae phosphori in quatuor frusta divisi et cum pulte farinacea in pilulae formam redacti grm. 0,103 inveximus; quo facto, statim natri hyposulfurosi grm. 10 in aquae destillatae grm. 40 soluta in ventriculum injecta sunt. Duabus post injectionem horis elapsis, alvus dejecta est fluida, quam hora post secuta est altera, quibus in faciebus tamen nihil phosphori reperiri potuit. Feles omnino alacris bene se habuit, dierum 10 spatio, per quod observabatur, nulla valetudinis turbatione animadversa.

#### Experimentum II.

Cuniculo adulto validoque pilula phosphori in 5 frustula parva divisi grm. 0,06 continens ingestra est. Extemplo post pilulam in vectam solutionis aquosae natri hyposulfurosi grm. 25, in quibus salis hujusce grm. 5 inerant, cuniculi in ventriculum injecimus. Animal, horis 18 exactis, mortuum inventum est, nullis tamen insignibus morbi symptomatibus observatis.

Cadaveris sectio post semihoram instituta utrumque pulmonem sanguine abundantem, cor, praesertim dimidium dextrum, sanguine fusci coloris non coagulato expletum, ventriculi membranam mucosam emollitam, involucrum epitheliale nonnullis locis, imprimis in fundo ventriculi, exutum, vasa ventriculi admodum turgentia ostendit, ulceribus tamen non inventis. E ventriculi contentis copiosi phosphori vapores diffundabantur. In superiore intestini tenuis parte membrana mucosa modice rube-

facta apparuit, reliquo tractu intestinali omnino integro. Ceteris in organis nihil, quod a norma recederet, in observationem venit.

Experimentum III.

Cuniculo valido eodem, quo in experimento superiore, modo phosphori grm. 0,06 statimque post natri hyposulfurosi grm. 5 in aquae destillatae grm. 25 soluta inveximus. Animal, quum die postero, ab initio satis quietum, per duas ante obitum horas debile jacuisset, horis 49 post phosphorum ingestum periit. Cadaveris sectione post semihoram instituta, pulmones atque cor integra vidiinus, in hoc tamen magna sanguinis fusci non coagulati copia reperta. Ventriculi membrana mucosa, in fundo admodum rubefacta, in pylori vicinia unam atque in ipso pyloro duas obtulit erosiones majores. Intestini tenuis membrana mucosa in parte superiori non ita rubefacta in inferiore multo magis rubet, ubi quidem etiam ulcera nonnulla usque ad tunicam musculararem pertinentia ejusdem, qua aciculae capitulum est, magnitudinis, massa quadam subnigra obtecta, in conspectum venerunt.

Experimentum IV.

Cuniculo adulto validoque eodem, quo diximus, modo phosphori grm. 0,06 atque exemplo post natri hyposulfurosi grm. 5 ingesta sunt. Mors convulsionibus stipata post horas 35 ingruit, excepta anorexia, quae postremis horis 12 exstitit, nullis phaenomenis morbosis in animali animadversis.

Cadaveris sectionem hora post obitum exacta quum instiuissem, pulmones in marginibus infiltratos, in superficie autem hic illie ecchymoses granorum milii magnitudinem adaequantes observavi. Cor ceterum normale sanguine coloris fusci non coagulato impletum cernebatur. Ventriculi membrana mucosa emollita atque rubefacta in regione cardiaca nonnullas erosiones parvulas in superficie ostendit. Intestini tenuis pars maxima,

etiamsi tantum modice, vasis turgentibus, rubefacta apparuit.  
Organa cetera nihil abnorme praebuerunt.

Experimentum V.

Feli adultae validaeque phosphori in frustula 4 divisi atque in pilulas duas redacti grm. 0,102 inveximus. Quo facto, confestim natri hyposulfurosi grm. 10 in aquae grm. 45 soluta animalis in ventriculum injecta sunt. Animal, postquam biduo insequenti optima valetudine usum cibos porrectos cum appetitu sumxit, post horas circiter 48 magna inquiete vexari coepit nonnullas dejicit alvos sanguinolentas, ciborumque appetitu carrens denique fere 60 horis circumactis in tantam incidit debilitatem, ut, quando erectum esset, semper denuo corrueret. Postremo, horis 75 post injectionem elapsis, mors secuta est.

Cadaveris sectione post horam dimidiata facta, pulmones, praesertim sinistrum, magna sanguinis copia abundantes nonnullis superficie locis parvulas quasdam ecchymoses offerre vidimus. Pericardium paululum seri lucidi subflavi continens in lamina interna permultas eadem, qua aciculae capitulum est, magnitudine ecchymoses ostendit. Cor in omnibus suis partibus sanguine fusco parum coagulato repletum cernebatur. Intestini tenuis pars maxima vehementer inflammata apparuit, ejusque superficies externa atque interna eximium vasorum turgorem obtulit, parteque ejus inferiore membrana mucosa et emollita et multis locis epithelio denudata permulta praebuit ulcera parvula, quorum ex numero duo majore extensione in oculos incucurrerunt. Namque, ut ulcera cetera aciculae capitulum magnitudine aequantia non destruxerant nisi membranam mucosam, haec duo, diametro lineas 2—3 adaequante, usque in stratum musculare porrecta fuerunt. Organa cetera nihil, quod a norma discederet, ostenderunt.

Quum negativi experimentorum, quae descripsimus, eventus fortasse inde pependisse putari possent, quod natron hyposulfu-

rosum, resorptione celeriore, prius in sanguinem transiisset, quam ozontis conformatio ex toto impedimento fuisset, in experimentis postea suscipiendis, ut incommodo isti occurreretur, injectionem identidem instituendam esse existimavimus.

Experimentum VI.

Cuniculo adulto phosphori in oleo amygdalarum solutionis  $\text{Dij}$ , quibus phosphori gr $\beta$  inerat, inveximus, indeque statim natri hyposulfurosi grm. 5 in aquae grm. 25 soluta in ventriculum injecimus. Horis 2 praeterlapsis, eadem natri hyposulfurosi copia animali data, mors, hora post injectionem secundam exacta, ingruit.

Cadaveris sectio post horae quadrantem facta pulmones integros, cor non mutatum, at omnibus in partibus sanguine fluido coloris fusci expletum ostendit. Ventriculus in superficie externa prope cardiam nonnullas ecchymoses exiguae, membranamque mucosam in pylori vicinia paululum rubefactam prae-  
buit, ceterum a norma non recedens. Ventriculi contenta satis manifestos phosphori vapores exhalabant. Intestina, aequa ac cetera organa, nihil obtulerunt pathologicum.

Experimentum VII.

Cuniculo valido eodem, quo in experimento superiore de-  
scriptissimus, modo parem phosphori indeque natri hyposulfurosi quantitatatem dedimus. Hora post altera ejusdem copiae natri hyposulfurosi, i. e. grm. 5, injectio et, semihora post eam elapsa, injectio tertia doseos ejusdem instituta est. Hora dimidia trans-  
acta, quum animal ad id tempus nulla phaenomena morbosa in conspectum dedisset, subitae ingruerunt convulsiones, quibus comitantibus, mors post decem circiter sexagesimas ingruit.

Cadaveris sectione horae quadrante post obitum facta, nisi quod cordis dimidium dextrum permagna sanguinis fusci male coagulati copia impletum pulmoque dexter insigni hyperaemia affectus apparuit, nullas majoris momenti mutationes pathologicas deprehendimus.

Quodsi, quae experimenta modo descripta docuerunt, complectimur, solum uno in casu (exp. I.) mortem non ingruisse, in sex postremis autem finem letalem, et quidem phaenomenis prorsus similibus, quam quae phosphoro solo porrecto cernebantur, secutum esse videmus. Sanguis enim admodum dissolutus, aut male aut omnino non coagulatus, colore fuso imbutus, pulmones simili modo infiltrati, nec non pari modo ecchymoses diversae in conspectum venerunt. Veneno in solutione porrecto, mors per breve tempore successit (cf. exp. 6 et 7), phosphori autem substantia in usum vocata, animal demum multo longiore post tempore periit, neque localia ventriculi tractusque intestinalis phaenomena defuere (cf. exper. 2 — 6). Ad casum primum quod attinet, admonendum videtur, hoc non unicunq; esse exemplum, quo animal validum intoxicationem ope phosphori effectam, praesertim veneni copia non ita magna inventa, pertulerit, ac fortasse alvi liquidae dejectionibus, quas nostro in casu paulo post injectionem exstisset narravimus, magnam phosphori infecti partem emissam, quamvis summa diligentia adhibita, observationem fecellisse. Quoquo modo res sese habet, equidem haud dubitaverim contendere, natri hyposulfurosi usu phosphori vim et effectum haudquam commutari.

Quodsi hinc concludere licuit, phosphoro in animalis corpus ingestu, aut nihil ozontis aut tam parum conformari, ut inde toxica hujuscce substantiae vis repeti nequeat, ad sententiam nostram etiam confirmandam glutinis amylacei in ventriculo commutationes hoc respectu examinari placuit.

Quem in finem feli primum olei phosphorati centimetra cubica 15, deinde glutinis amylacei, kalio jodato tractati, cent. cubica 25 in ventriculum injecimus. Sexagesimis horae 25 transactis, animal, quum aliquot sexagesimis ante massae mucilaginosae, colore subflavo tinctae 3*j* vomitu emisisset, morte affectum est.

Cadaveris sectio omnia organa prorsus normalia, ventriculum fluido quodam phosphori vapores exhalante, quod omni ex parte cum massa vomitu ejecta congruebat, modice impletum ostendit. — Quod fluidum jodo tractatum colore caeruleum manifestum induit, id quod indicio est, ei amylo infuisse. Pariter, aquam chloratam quum addidisse, color caeruleus exstitit, qui jodum adesse docuit, reactione paululum acida. — In quod fluidum resegrmine chartae immisso indeque in vas, cui phosphori frustula inerant, imposito, colore ejus paulum caeruleum evadere observavi. E contrario is color caeruleus insignem in modum apparuit, quum ad aquam paululum kalii jodati additum fuisset, unde elucet, kalii jodati copiam in ventriculo contentam perexiguam fuisse.

Feli alteri glutinis amylacei addita parva tincturae jodinae copia caerulei facti centim. cub. 25 in ventriculum injecta animalque decem post sexagesimas necatum est. Cadavere secto, in ventriculo massa quaedam mucilaginosa subflava reactionis paululum acidae, quae jodi tinctura tractata colore caeruleum non induit, neque quidquam jodi continebat, reperta est. Itaque ventriculi contentis gluten amylaceum injectum, ex quo tamen jodium jam resorptum erat, infuit. Quo experimento docemur, via, quam diximus, inita ad quaestionem, de qua agitur, dilucidandam nihil conferri posse; namque in celeri jodi resorptione magna ozontis copia e phosphoro conformari potuit, nulla tamen glutinis amylacei mutatione effecta. Neque igitur experimentum prius ad solvendam hanc quaestionem quidquam valet. Ceterum non potui, quin de hisce experimentis mentionem inferrem, quippe quae alio respectu haud exigui momenti viderentur.

Namque nos edocent, quam celeriter jodium ex amyli comparatione resorbeatur, ideoque in intoxicationibus jodo effectis usum substantiarum amylo continentium vix multum pro antidoto valere ostendunt.

Fuerunt multi, qui phosphorum per se celeri intra corpus oxydatione vim noxiā exhibere suspicarentur. Etenim phosphorus aliquo libero oxygenii aditu comburi calorque ita productus ventriculi parietes afficere in iisque similes, quam quae integumento communi combusto exsistere solerent, destructiones efficere credebatur. Verumtamen prof. Buchheim, vir clarissimus, in ventriculo ejusmodi phosphori vim et effectum statui non posse demonstravit, phosphoro hanc indolem esse admonens, ut, aeris aditu satis patente, demum 75<sup>o</sup> secundum scalam Celsiusianam exardescat, quam ob causam in corpore hac substantia tantum sensim ac paulatim combustionem effici posse testatur. Quibuscum experimenta ab Orfila<sup>1)</sup> instituta congruunt, qui, quum cani quattuordecim parvula phosphori frustula, quibus cunctis pondus erat grm. 7 1/2, dedisset, post animalis mortem, quae hora vicesima prima ingruit, omnia ista frustula in tractu intestinali repperit, quae quidem quum pensitavisset, pondus cuncitorum tantum decigrammatis 6 deminutum esse apparuit. Bibra<sup>2)</sup> quoque in cuniculis, quos phosphori substantia porrecta necavisset, etiam quum mors nonnullos post dies secuta esset, materiam istam in ventriculo se invenisse refert. — Nec non in experimentis a Schrader<sup>3)</sup> factitatis phosphori frustula, quae cuniculis deglutienda dederat, etiam horis 24 exactis, non ex toto oxydata cernebantur. Unde elucet, quum phosphori combustio tam tarda sit, ut in experimento ab Orfila facto horarum 21 spatio tantum decigrammata 6 oxydata fuerint, calorem ita productum nequaquam eum gradum assequi posse, quo tantae in corpore destructiones efficiantur atque inde mors inferri queat.

---

1) Orfila *Traité de Toxicologie* 5me edit. 1852. Tom I. p. 80.

2) Bibra u. Geist. *Die Krankheiten der Arbeiter in den Phosphorzündholzfabriken.* 1847. p. 59.

3) Deutsche Klinik 1854. No. 11.

Denique tempore recentissimo a prof. Mayer<sup>1)</sup> Bonnensi sententia in medium prolata est, in intoxicationibus phosphoro effectis veram mortis causam in substantiae sanguini illatae effectu directe perniciose letiferoque quaerendam esse. Phosphorum enim, forma non mutata, in sanguinem transferri, experimento in rana instituto demonstrare conatur. Cui animali quum phosphori cum oleo amygdalarum commixti gr. j in vulneris dorsi injecisset, morte triduo post secuta, cor sanguine fusco, in tenebris lucente, repletum invenit. Ut taceam, mihi nunquam contigisse, ut, intoxicatione ope phosphori effecta, sanguinem lucere observarem, haec professoris Mayer relatio vel idcirco magni momenti existimari nequit, quod phosphorus vulneri illatus esse narratur, ubi quum sine dubio vasa quaedam dirupta essent, factum est, ut venenum, resorptione non necessaria, per haec vasa in sanguinem perferretur. — Quod autem Mayer ex stupore, qui saepe, intoxicatione ope phosphori effecta, paulo ante mortem existere solet, simpliciter concludit, phosphorum, forma non mutata, in cerebro deponi, hanc opinionem opus non est ut pluribus refellamus.

Multo exactiores illae sunt disquisitiones, quas Lewin<sup>2)</sup> de phosphori resorptione factitavit, quasque ob causas jam commemoratas a me iterari non potuisse vehementer deleo. Qui vir doctus, phosphorum, forma non mutata, resorberi probatur, complurium observatorum, praesertim Casperi, relationibus innititur, qui, intoxicatione phosphoro effecta, aërem exspiratum lucere sibi observavisse videbatur. Qua in re tamen ipse admonet, in observatione ista scrutatores facile errore decipi potuisse, quum, uti et ipse in experimento quodam animadverterit,

---

1) Vierteljahrsschrift für öffentliche und gerichtliche Medicin von Casper.  
Vol. XVIII. „Der Phosphor in seiner Wirkung auf den thierischen Organismus,  
als Arzneimittel und als Gift von Mayer p. 24.

2) Lewin. l. c.

nonnulla phosphori inventi frustula in oesophago faucibusque haerentia ibi oxydata, ut aër exspiratus ipsa perstringens luceret, efficere potuerint. Imprimis autem, ut sententiam suam de phosphori non mutati resorptione confirmaret, huic momento plurimum tribuit, quod Casper in quodam intoxicationis casu vapores lucentes e vagina effundi vidisset. Ipsius quoque perverstigationibus phosphorum forma non commutata in sanguinem transire confirmatum esse contendit. Cani enim quum phosphori gr.  $2\frac{1}{2}$ —3 sensim ac paulatim invexisset, animali die quarto post vehementer aegrotanti circiter libram sanguinis detraxit, quo in apparatus a Mitscherlich constructi cucurbita cum parva aquae acidique sulfurici copia cocto, lucis aditu praecluso, in tubulo efferente nihil lucidi observavit. Inde, animali mortuo, quum hepar in mortario murrhino in pultem spissam, aqua acidoque sulfurico dilutam, contrivisset eamque massam in cucurbitam immisisset, compluria tubuli loca quamvis solum paullulum, at manifesto tamen lucere animadvertisit. Idem factum est, quum fluidum destillatum, quod in vas apparatus ad refrigerandum destinato subjectum exceperat, refudisset. Quibus ex observationibus phosphorum in sanguine incesse formaque non permutata resorptum fuisse conclusit.

Quod experimentum a Lewin prelatum etiamsi phosphorum in sanguine infuisse coarguat, tamen neutiquam inde apparet, eum forma non mutata resorberi. Mihi potius ob causas, de quibus infra exponam, verisimilius videtur, eum forma alia in sanguinem recipi, ubi tum sane in phosphorum putum rursus transformari queat. Quoquo modo res se habet, ex phosphori in sanguine praesentia res nullo modo ad liquidum perducitur. Etenim ad hoc usque tempus nondum probare contigit, phosphorum forma non mutata cum quibusdam partibus corpus constituentibus conjunctiones inire posse.

### Caput II.

Quaeritur, num phosphorus conjunctione aliqua chemica efformata vim noxiam exhibeat.

In explicanda quaestione, num forte phosphorus aliqua intra organismum conjunctione formata effectum noxiū habeat, omnium maxime conjunctiones cum oxygenio, nec non conjunctiones cum hydrogenio respiciantur oportet. Namque fieri potuerit, ut combustionē aut celerius aut tardius effecta e phosphoro vel acidum hypophosphorosum, vel acidum phosphorosum, vel denique acidum phosphoricum efformetur, eaque noxiam in organismo vim exhibeant. Ex parte altera, theoriae ratione habita, nihil est, quod sententiae primo a Schuchardt<sup>1)</sup> promulgatae repugnet. Cujus viri docti haec verba sunt: „Es könnte sehr möglich sein, dass sich unter irgend welchem Einflusse Wasser im Magen und in den Gewebstheilen des Organismus (zunächst des Magens) beim Zutritte von Phosphor zersetzt und der eine Theil zur phosphorigen Säure, welche dann als solche, oder zu Phosphorsäure höher oxydirt, Einwirkungen bedingt, oder sich mit Basen zu Salzen verbände, der andere Theil des Phosphors dagegen mit dem Wasserstoff des Wassers zu Phosphorwasserstoff sich verbinde und dieser letztgenannte Stoff hauptsächlich die deletäre Wirkung bedinge.“

Quodsi primum conjunctiones cum oxygenio ineundas contemplamur, experimenta a prof. Buchheim et Dr. Sawitsch<sup>2)</sup> instituta arguento sunt, acidum hypophosphorosum omni noxia in organismum vi et effectu carere.

Qui quum feli acidi hypophosphorosi grm 1. (ergo acidi aquae expertis grm. 0,126) in aquae grm. 5 solutum dedissent, et aliquot diebus interjectis, dosin duplo majorem porrexissent,

1) Cf. Schuchardt. l. c.

2) Meletemata de acidi arsenicosi efficacia. Diss. inaug. Dorpati 1851.

animalis valetudinem nullo modo turbatam esse viderunt. Quin etiam Sawitsch ipse acidi hypophosphorosi grm. 2,729 (ergo acidi aquae expertis grm. 1,536) diebusque 2 transactis grm. 3,214 (acidi igitur aquae expertis grm. 1,05) ac denique quadriga post grm. 4,05 (itaque acidi aquae expertis grm. 0,611) assummisit, nulla tamen valetudine incommoda effecta. Unde patet, avidum hypophosphorosum organismo nequaquam nocere.

Quod spectat ad acidi phosphorosi in organismo efficaciam, prima anno 1830 ab Huenefeld<sup>1)</sup> suscepta sunt experimenta. Quibus vir doctus cuniculum adhibuit, cuius ventriculo quum hydratis acidi hujuse grm. 25 injecisset, animal inquiete vexari animadvertisit. Horis 24 exactis, quum 3j hydratis istius injecisset, cuniculus post horas 12 extinctus est.

Quae pervestigationes anno 1844 a Weigel et Krug<sup>2)</sup> denuo susceptae fuerunt, qui, quum cuniculo acidi phosphorici guttulas 45, acidi phosphorosi guttulis 4½ inquinatas, dedissent, animal hora cum dimidia elapsa perire viderunt. In cuniculo altero, cui modo eodem in acidi phosphorici guttulis 20 una acidi phosphorosi guttula infecta fuerat, mors brevi post injectionem tempore ingruit.

Haec experimenta Woehler et Frerichs<sup>3)</sup> anno 1848 in columba, cui acidi phosphorosi siccii grm. 0,5, atque in cavia, cui quantitatem eandem, et in fele, cui hujuscce substantiae grm. 1 in ventriculum immisere, repetiverunt. In omnibus his casibus mors brevi secuta est, et in columba quidem post horam, in cavia post aliquot horae sexagesimas, in fele horis 36 exactis ingruit:

Ceterum haec tria, quae ultima attuli, experimenta ad quaestionem, de qua agitur, solvendam minoris sunt momenti.

1) Cf. Horn's Archiv für med. Erfahrung. 1830. Sept. et Oct. Fasc. p. 861.

2) Cf. Caspar. Med. Wochenschrift. 1844. p. 455.

3) Cf. Woehler u. Liebig. Annalen der Chemie u. Pharmac. Vol. 65. pag. 347 etc. 1848.

Namque, ad primum quod spectat, Woehler et Frerichs ipsi partem fluidi in tracheam illatam suffocationem effecisse ajunt, neque non in experimento tertio ipsi confitentur in cannula, qua ad injectionem usi sint, protrahenda verisimile esse fluidi partem in tracheam fluxisse. Quod incommodum in fluido injiciendo revera accidisse, ex morbi historia quam verisimillimum videtur, quippe qua respirationis difficultatem maximam fuisse, et, cadaveris sectione facta, vias aëriferas, ventriculo tractuque intestinali integris, valdo affectas fuisse edoceamur. In experimento, cui cavia adhibita est, quamvis observatores ipsi non suspicentur quidquam fluidi in pulmones illatum fuisse, hoc tamen neutquam vero absimile est, quoniam hoc quoque in casu et respirandi difficultates permagnae fuerunt et, cadaveris sectione instituta, sola pulmonum vasa sanguine turgentia reperta sunt. Certe hoc unum experimentum quaestioni nihil lucis adhibere potest.

Omnium primi prof. Buchheim et Dr. Sawitsch<sup>1)</sup> sententiae de toxica acidi phosphorosi efficacia adversarii coorti sunt. Quorum experimentis in felibus institutis compertum est, copias minores, uti grammatis unius, omni ad animalium organismum vi et effectu carere, copias majores autem, sicuti grammatum duorum, tametsi ad tempus valetudinem incommodam efficerent, nunquam tamen animalis mortem in sequelis habere. Sawitsch ipse intra horae quadrantem grammata 2,201, quibus acidi aquae expertis grm. 1,241 continebantur, dosibus duabus, et, biduo elapso, eodem modo grm. 2,729, ergo acidi aquac expertis grm. 1,586, assumxit, nulla tamen valetudinis turbatione ammadversa.

Schuchardt<sup>2)</sup> haec experimenta, cuniculis adhibitis, iteravit, in quibus quum acidum phosphorus, acidi aquae ex-

1) Cf. Sawitsch l. c.

2) Schuchardt l. c.

pertis 41,1 partes in centenis continens, in ventriculum injiceret, animali alteri primum grana 10, et, triduo elapso, circiter 15 acidi aquae expertis grana invexit, nullis phaenomenis morbosis in observationem venientibus. Eundem eventum in cuniculo secundo nactus est, cui primo grana 10, deinde, diebus 4 circumactis, grana 12 injecerat.

Reveil, Poggiale et Paronne<sup>1)</sup>, plurimis acido, de quo agitur, experimentis factitatis, cundem obtinuerunt eventum, ut acidum istud aqua dilutum vi toxica carere censerent.

Cui sententiac temporibus recentissimis Mayer<sup>2)</sup> adversarius exstitit, qui ubi cuniculo acidi phosphorosi guttulas 40 in dorsi vulnus instillavit, horis 6 praeterlapsis, animal lateris dextri paralysi affectum, post horas 11½ prorsus insensibile factum, atque hora duodecima denique extinctum vidit. Cadavere seeto, in corde sanguis fluidus ac paulum coaguli, pulmones perquam rubri, superficies vulnerata corrosa ac colore fuso tineta et hinc, acido scilicet transsudato, fundus ventriculi macealis fuscis distinctus inventa sunt. Verbis postremis obscurius dietis auctorem verisimile est indicaturum fuisse, degenerationes, quae vulnera effectae fuissent, integumenta externa penetrasse ventriculumque etiam corripuisse. Quantum vero in lacsione tam vehementi vulnus externum, quantumque acidum phosphorus sum fornitan resorptum ad animalis mortem contulerit, ex hoc experimento certo dijudicari nequit. Idem de aliis observatoris ejusdem experimentis modo simili eventuque eodem in ranis institutis dicamus oportet, qua de re sententia de hujusce substantiae vi innoxia iis, quae Mayer objecit, labefactari aut subverti nequiit.

1) Annales d'Hygiène 1859. II. Ser. Tom. XIII. p. 374 et Gazette hebdomad. 1860. No. 46. Gaz. des Hopit. 1859. No. 70. Mihi quum fontes ipsos adire non licaret, locos citatos e commentatione a Lewin conscripta, cuius supra mentio facta est, desumpsi.

2) Mayer l. c.

Denique Lewin<sup>1)</sup> quoque investigationes quasdam de eodem acido tradidit, qui, ut prohiberet, quominus in cannula, qua ad id tempus observatores acidum ventriculo injicientes usi fuerant, rursus protrahenda fluidi pars in vias aëriferas deferretur, acidum in siphonem ope gummi elasticum conclusum immisit, apiceque siphonis ad linguae partem posteriorem radicemve imposito, pressum ad gummi elasticum paulatim ac sensim remittendo fluidum guttatum effudit. Acido phosphoroso duplo magiore aquae copia diluto, eundem, quem Sawitsch et Schuchardt, eventum nactus acidum phosphorus vi toxica carere contendit.

Quodsi temporum recentissimorum disquisitiones cautione diligentiaque necessaria factae experimentis institutis acidum phosphorus vi non absolute toxica esso testantur, haec sententia etiam eo confirmatur, quod, intoxicationibus ope phosphori effectis, remedia talia, quae, hoc acido reactionis neutralis facto, conjunctiones innoxias efficere necesse foret, omni vi atque efficacia carere cernimus. Schuchardt<sup>2)</sup> antidotis hisce a multis in usum vocatis, uti magnesia ab Orfila magnopere commendata atque mixtione Bechertiana, quae octonis liquoris chloris singulisque magnesiae partibus constat, plurima experimenta factitavit, nunquam vero illis letalem phosphori efficaciam tolli atque ad nihilum redigi observavit.

Denique, quod ad tertiam phosphori cum oxygenio conjunctionem, acidum phosphoricum dico, attinet, ea quidem tam saepe pro remedio in usum conversa est, ut de vi ejus innoxia, si quidem diluta neque dosibus nimis porrigitur, adeo persuasum sit omnibus, ut non videatur opus esse diserte experimenta a Mayer<sup>3)</sup> instituta impugnari, qui quidem periculis similibus,

1) Lewin l. c.

2) Cf. Schuchardt l. c.

3) Mayer l. c.

quam quae acido phosphoroso instituit, acidum phosphoricum quoque vi toxica instructum esse demonstrare conatus est. — Vidimus igitur, phosphori cum oxygenio conjunctiones nequaque, uti phosphorum, veneni effectum habere. Namque tantis earum dosibus porrectis, in quibus phosphori copia, quae inerat, sequelas letiferas efficere debuit, nulla omnino apparuere phaenomena morbosa, unde sequitur, phosphori vim nocivam ex horum acidorum conformatione dependere non posse,

Primae omnium disquisitiones de ratione, quae organismo cum phosphoro hydrogenato intercederet, a Nysten<sup>1)</sup> sunt institutae. Qui 110 centimetra cubica phosphori hydrogenati, quem quidem, ut ei facultatem sponte exardescendi adimeret, aquae superimpositum loco frigido quieti dederat, dosibus quatuor, intervallis sexagesimarum duarum interjectis, in canis venam jugularem apertam injectit. Injectionibus secunda tertiaque factis, quibus tricena centimetra cub. invecta sunt, et pulsus retardatus est et respirandi difficultas exstitit, quae phaenomena, quum quarta triginta centimetrum cubicorum injectio instituta esset, admodum aucta apparuerunt. Quibus symptomatis post horae sexagesimas 5 remittentibus, sexagesimarum 15 spatio tres factae sunt copiae ejusdem substantiae illius injectiones, quarum postrema instituta, animal, convulsionibus mortem comitantibus, perit. Cadavere secto, cordis dextri cavitates valde dilatatae cernebantur et sanguine et aere, phosphorum hydrogenatum redolente.

Experimentum alterum, in quo cani 150 centimetra cubica phosphori hydrogenati modo eodem injecta sunt, minoris momenti est, propterea quod animali ad sanguinem arteriosum explorandum vulnus alterum in crus inflictum erat, quibus laesionibus traumaticis fortasse canis mortem post octo dies secu-

---

1) Recherches de Physiologie et de Chimie pathologique. Paris 1811. p. 101.

tam attribuendam esse, Nysten ipse admonet. Hoc in casu sanguis in corde obvius coagulatus apparuit.

Canis tertius, cui eadem ratione injectionibus 5 per aliquot sexagesimarum intervalla susceptis centimetra cub. 150, indeque, horae quadrante elapso, rursus cent. cub. 50 injecta fuerant; quattuor post ultimum experimentum sexagesimis mortem obiit. Cadaveris sectione facta, Nysten pulmones rubefactos cordisque dimidium dextrum aëre atque sanguine in colorem violaceum abeunte dilatatum vidit.

In experimentis, quae Schuchardt<sup>1)</sup> phosphoro hydrogenato instituit, vir doctus id efficere studuit, ut ille inde a ventriculo vim suam exhiberet, quo facilius, quos nactus esset eventus, cum intoxicationibus substantia phosphori, quae plerumque via eadem in corpus introduceretur, effectis sibi comparare liceret. Quo consilio ductus eam delegit substantiam, ex qua in ventriculum illata et haud dubie neque nimia cum celeritate phosphorus hydrogenatus efformaretur. Qua mente calcio phosphorato usus est, quod sibi phosphori vaporibus supra calcariam ardensem duetis paraverat. Quod quum ope radulae cum oleo subtilissime contrivisset, oleum colore fusco cacaotico tintetum manifestum phosphori hydrogenati odorem diffundebat. Cujus olei quum drachmae 3, quibus unum calcii phosphorati decigramma inerat, ope cannulac in cuniculi ventriculum injectae essent, animali post horas 12 extineto, cadaveris sectio tracheae vasa paululum turgida ostendit, qui turgor tamen non pertinebat etiam in bronchos. Pulmonum, qui ecchymoses offerebant, sinister praeterea etiam infiltratus erat; cor sanguine fusco male coagulato impletum apparebat. Ventriculi vasa in regione cardiaca paululum turgebant, interjectis parvulis ecchymosibus, intestini tenuis pars maxima suminopere inflammata erat.

---

1) Cf. Schuehardt. l. c.

In cuniculo altero, cui modo eodem calcii phosphorati centigrm. 3 ingesta erant, die insequenti convulsiones exortae sunt; ex quibus quum animal recreatum esset, horis 72 post priorem injectionem transactis, altera calcii phosphorati centigrammatum 5 instituta est. Inde, quum nullae valetudinis turbationes exstitissent, horis 120 circumactis, calcii phosphorati decigramma animali datum est, quo facto, cuniculus summa inquietudine vexari coepit. Experimento nimis diu continuato, animal morte affici placuit. Cadaveris sectio hoc quoque in casu eorū sanguine fusco non coagulato impletum, pulmonesque infiltratos ac ventriculum nonnullis ecchymosibus magnis affectum ostendit.

Cuniculo tertio calcii phosphorati frustulum, circiter decigrammata 3 pondere adaequans, pollicem cum dimidio in anum immissum est. Extemplo phosphorus hydrogenatus efformatus est, qui anno egrediens exarsit neque tamen ullam laesionem effecit. Decem ferme sexagesimis clapsis, et respiratio accelerata est et spiritus phosphorum hydrogenatum redolebat, horaque circiter post intoxicationem transacta mors convulsioribus comitata ingruit. Cadaveris sectio tracheae usque in bronchos ruborem, pulmones infiltratos, vasa sanguine fusco fluidoque repleta, internum ventriculi cordis dexti parietem nonnullis ecchymosibus parvulis affectum ostendit. Ventriculus colore subfusco imbutus ceterum normalem se exhibuit, nec non reliqua tractus intestinalis pars integra fuit, excepto duorum pollicum ante ani orificium spatio, in quo nonnullae ecchymoses forma irregulari, massis subnigris coagulatisque obiectae, inveniebantur.

Ex quibus periculis, quippe quae similia obtulissent phaenomena, quam quae phosphoro porrecto apparent, propterea quod phosphori copia in calcio phosphorato ad efformandum phosphorum hydrogenatum adhibito in casibus ceterum similibus

minor erat, quam phosphori ipsius per se quantitas, quae mortem attulerat, Schuehardt conclusionem deduxit, phosphori vim et effectum non tam substantiis ejus oxydatione productis, quam phosphori hydrogenati efformatione inniti, qua in re quibusdam rerum conditionibus fortasse et combustionis phosphori efficacia respicienda videretur. Quam ob rem eas phosphori conjunctiones modo, quibus phosphorus hydrogenatus conformetur, re vera effectu toxico esse judicat.

Contra Schuchardt, virum doctum, tempore recentissimo commentatione jam allata Lewin<sup>1)</sup> adversarius prodiit. Qui contra experimenta a Schuchardt instituta admonet, si calcium phosphoratum subtiliter divisum cum oleo conteratur, nihil phosphori hydrogenati conformari, quod oleum hanc substantiam tam arce circumdet, ut aqua accedente non contingatur ideoque decomponi nequeat. Ipse, ut re vera substantiae illius copiam majorem in ventriculo formaret, in apertum tubuli elastici finem parvula calcii phosphorati frustula immisit, quo facto, quum tubulum in cuniculi ventriculum induxisset, frustula ista per fistulam in cannula sitam expulit. Inde exemplo parvas aquae quantitates injecit, qua in re, auditis illico explosionibus, phosphorum hydrogenatum sibi persuasit formatum esse. Animali circiter post semihoram mortuo, cadaveris sectio membranam mucosam ventriculi vesicae instar inflatam esse monstravit, id quod Lewin inde repetit, quod phosphorus hydrogenatus membranam mucosam vesicae ad instar sursum sustulerit. Sanguis omnino coagulatus nullam coloris mutationem subierat, ideoque prorsus dissimilis erat ei, qui intoxicationibus ope phosphori effectis observatur.

Quae experimenta a Lewin instituta non, ut auctor ipse arbitratur, phosphorum hydrogenatum omnino, sed phosphorum

---

1) Cf. Lewin l. c.

hydrogenatum, qui sponte exardescat, prorsus alia phaenomena, quam phosphorum ipsum, provocare, ideoque toxicam hujusce vim non a substantiae illius efformatione pendere posse, ac potius mortem, quae ista invecta sequatur, quantum verisimile sit, e' directa combustione partium, in quibus illa exarserit, repetendam esse docent. Omnino phosphoro assumto nihil phosphori hydrogenati sponte exardescens in ventriculo conformari, jam ex iis, quae animalium toxica phosphori vi extinxitorum cadaveribus sectis comperta sunt, intelligitur. Namque hisce in casibus localia combustionis signa, quae vix defuissent, observatorem fugere nequissent, alteraque ex parte, tractu intestinali patefacto, ejusmodi materiae praesentia, aere accedente, explosione facile cognosci potuisset. Neque vero aut ipse in experimentis a me institutis unquam, tractu intestinali animalis aperto, vel in ventriculo vel in intestinis talem explosionem animadverti, aut apud alium quemquam auctorem ejusmodi relationem invenire potui. Ac tamen multis in casibus et phosphori vapores ex intestinis exhalati cernebantur et tota adeo phosphori frustula paene integra hic reperta sunt, ideoque nihil impedimento fuit, quominus phosphorus hydrogenatus postea efformaretur. —

Ceterum Schuchardt neutiquam, id quod Lewin ei attribuere velle videtur, phosphorum semper efformato phosphoro hydrogenato sponte exardescente efficaciam suam exhibere contendit, sed potius verbis disertis haec ait: „das verdient bemerkt zu werden, dass ich die örtlichen Veränderungen bei der Application vom Magen aus meist nur sehr gering fand, und dass dieses möglicher Weise damit in Zusammenhang zu bringen ist, dass das bei dem Zusammenreiben des Phosphorcalcium mit Oel sich fortwährend langsam entwickelnde Phosphorwasserstoffgas an der Luft sich nicht entzündet. Als ich eine solche Mischung von einer beträchtlichen Menge von Phos-

phorcalcium mit Mandelöl in vielen Wasser diluirte, konnte ich ebenfalls keine Bildung von selbstentzündlichem Phosphorwasserstoffgas bemerken (obgleich starker Geruch nach Phosphorwasserstoffgas stattfand), welche sogleich eintrat, als ich dieselbe Menge Phosphorcalcium für sich allein in's Wasser goss.“

Itaque in primis duobus experimentis effectum letalem ad phosphori hydrog. non sponte exardescens formationem referre videtur. Falso egit, quod experimentum tertium, quo calcii phosphorati substantiam ipsam in anum introduxit, prorsus eodem loco habuit, quo experimentum prius, quamvis in hoc phosphorum hydrog. sponte exardescens formatum esse appareret. — Ergo ad hoc maxime experimentum conclusionesque inde effectas opprobria a Lewin objecta spectant. Mihi quantum videtur, error praecipuus in experimentis a Schuchardt factitatis eo admissus est, quod, ut phosphorus hydrogenatus conformaretur, calcium phosphoratum ventriculo invexit. Ipse calcium phosphoratum a se paratum e mixtis compluribus gradibus conjunctionum calcii cum phosphoro simulque cum calcaria phosphorica et praevalente calcis copia constitisse, ideoque aqua decompositum omnes tres phosphori hydrogenati conjunctiones, tum gasiformem, tum fluidam, tum denique solidam, et largissime quidem gasiformem, ratione irregulari variaque, praeterea etiam calcariam hypophosphorosam, phosphorosam atque phosphoricam praebere testatur. Quae quum ita sint, maxime est dubium, quantum effectus letiferi phosphoro hydrogenato, quantum ceteris substantiis e decompositione oriundis, quantum denique ipsi calcio phosphorato per se vindicandum esse videatur.

Quibus incommodis ut occurrerem, suadente professore Büchheim, viro celeberrimo, animum induxi, ut phosphorum hydrogenatum non sponte exardescens ipsum per se animalium ventriculo injicerem. Quem, ut merum obtinerem, agendi rationem

a Rose<sup>1)</sup> inventam secutus paravi. Etenim concentratam hydratis kali in spiritu vini diluto solutionem, quae ex grm. 75 kali caustici, grm. 37½ spiritus vini et grm. 37½ aquae destillatae constabat, in lagenam retortam immisi, fluidoque nonnulla phosphori frustula injeci, ac tum omnia calefeci. Ad vapores spiritus vini condensandos lagena cum excipulo globoso tubulato coniuncta erat, unde phosphorus hydrog. efformatus per tubulum in alveum aqua impletum perduceretur. Qua in re brevi tempore magna ejus copia efformata est, quae vesicularum forma ex aqua adscendens aëre accedente non exarsit, et tum odore suo tum, in contactum cum flamma adducta, exardescendi facilitate tum aquosa argenti nitrici solutione colore nigro imbuta phosphorus hydrogenatus sponte non exardescens, esse cognita est. Quo postquam siphon sub aqua impletus est, ejus ad instituendas injectiones usus facillimus fuit. Quem in modum haec facta sunt experimenta.

#### Experimentum I.

Feli magnae adultaeque, cathetere clastico per oesophagum usque in ventriculum immisso, phosphorum hydrog. in siphonem exceptum injecimus. Quo modo phosphori hydrogenati centim. cub. 100 invecta sunt, quibus, quum singula centimetra cub. phosphori grm. 0,0014 continerent, phosphori grm. 0,14 inerant. Injectione facta, statim, ceterum nulla valetudinis turbatione conspicua, ructus phosphorum hydrogenatum redolentes extiterunt. Horae dodrante elapso, animali modo codem substantiae ejusdem centimetra cub. 50 injecta sunt; quo facto, quum animal per horam satis bene se habuisset cibosque porrectos sumisset, circiter hora cum dimidia exacta, feles inquiete agitari coepit hue illuc cursitabat saepcque clamitabat, qui status quum

1) Cf. Lehrbuch der Chemie zum Theil auf Grundlage von Dr. Thomas Graham's Elements of Chemistry, bearbeitet von Dr. Fr. Jul. Otto. 1844. Vol. 2. dim. 1. pag. 394.

semihoram tenuisset, summa lassitudine exorta, animal et diffilime movebatur et erectum semper denuo concidebat, extremitatibus posticis praesertim immobilibus, ac denique, horis 3 post alteram injectionem circumactis, convulsionibus non ita vehementibus mortem comitantibus periit.

Cadaveris sectio post horae quadrantem facta oris cavum faucesque et oesophagum ac laryngem tracheamque normalia, pulmonis sinistri partes inferiores valde infiltratas ostendit, quod idem, quamquam minorem in modum, in pulmone dextro apparuit. Cor normale, praesertim in dinidio dextro, sanguine fluido coloris fusci impletum erat. Ventriculi membrana mucosa in pylori regione modice turgebat, ceterum in toto tractu intestinali nullis practerea commutationibus repertis. Ventriculi contenta exiguum phosphori hydrogenati odorem spargebant. Organa cetera a norma non abhorrebant.

#### Experimentum II.

Feli adultae validaeque eodem, quo diximus, modo phosphori hydrogenati centimetra cub. 100 in ventriculum injecta sunt. Animal quum per duas post injectionem horas optime se habuisset, tum hoc quoque in casu stupor quidam ac somnolentia ingruit, qua in re pariter atque in experimento superiore impedita posteriorum corporis partium mobilitas in oculos incurrit. Tribus post injectionem horis animal mortem obiit convulsionibus stipatam.

Cadavere post semihoram secto, viae aëriferae pulmoque dexter prorsus integra apparuere, sinistro et in apice satis infiltrato et in superficie parvulas quasdam ecchymoses offerente. Cor normale modice repletum erat sanguine fusco parum coagulato. Ventriculus ceteraque tractus intestinalis partes, nisi quod ventriculi membrana mucosa rubebat, nihil praeterea abnorme ostenderunt. Cetera organa nullam subierant mutationem.

### Experimentum III.

Feli magnae adultaeque modo jam descripto phosphori hydrogenati cent. cub. 100 in ventriculum injecimus. Quo facto, statim vehementes ingruerunt ructus, quibus vaporess valde phosphorum hydrogenatum redolentes per os emissi sunt. Animal, valetudine neutiquam turbata, omnino alacre in vivis mansit, atque, diebus 14. exactis, aliis adhiberi potuit experimentis.

### Experimentum IV.

Feli adultae modo eodem phosphori hydrogenati cent. cub. 100 immissa sunt, quod animal, quum per sex post injectionem horas nulla apparuissent symptomata, quae valetudinem turbatam indicarent, mane insequenti, tempore nocturno per horas 5 observatione ejus omissa, mortuum reperimus.

Cadaveris sectio utrumquo pulmonem modice infiltratum, ceterum normalem, atque cor, praesertim dimidium dextrum, sanguine coloris fusci parum coagulato impletum ostendit. Tractus intestinalis atque organa cetera nihil obtulere pathologici.

### Experimentum V.

Cuniculo adulto pari ratione phosphori hydrogenati cent. cub. 100 in ventrem immisimus, quo facto, horis tribus exactis, quum, exceptis convulsionibus levioribus brevi ante obitum extortis, nulla majoris momenti symptomata in observationem venissent, mors insecuta est.

Cadavere post horam secto, trachea normalis, ambo pulmones in partibus inferioribus modice infiltrati, cordis ambo dimidia sanguine fusco non coagulato expleta apparuerunt. Et tractus intestinalis et cetera organa ex toto integra sese praestiterunt.

## Experimentum VI.

Feli validae adultaeque quum phosphori hydrogenati centimatra cub. 100 injecta essent, statim et ructus vehementes et vomitus, quibus massae phosphorum hydrogenatum olentes emittebantur, exorti sunt. Inde animali, quia omnino bene se habebat, horis 24 circumactis, eadem copia immissa est, quo facto, ceterum nulla valetudinis turbatione observata, ructus vehementes exstitere, ita ut horis 24 post tertiam injectionem, eamque centimtrum cubicorum 200 institui placeret. Cannula vixdum extracta, pariter atque post injectiones priores, extemplo vomituritio vehemens vomitusque ingruit, quibus exceptis, animal et bene se habuit nec diebus insequentibus octo, per quos observari poterat, ullum morbi symptoma ostendit.

Ex quibus experimentis perspicuum est, phosphorum hydrogenatum non sponte exardesceret, si in ventriculum immiseris, mortem inferre, idque tanta porrecta dosi, cui ea fere insit phosphori copia, qua data phosphorus merus exitum letalem efficere valeat. — Ceterum copia haec certo definiri nequit, quod, quoniam plerisque in casibus phosphori hydrog. partem rursus e ventriculo ejectam esse constat, numeri allati tantum quantitatem maximam, quae recipi queat, indicant. Phosphorum hydrogenatum re vera inde a ventriculo vim suam exhibere, neque vero in respirationis organa intrando, in quae tamen haud negamus in cannula protrahenda nonnihil ejus inferri potuisse, efficaciam noxiam habere, hoc, ut omittam, omnem respirationis difficultatem omnesque viarum aeriferarum commutationes pathologicas defuisse, eo momento demonstratur, quod duae feles (cf. exp. 3 et 6), quamvis rerum conditionibus prorsus iisdem, et alteri quidem etiam plus illius substantiae, quam ceteris animalibus, injectum esset, tamen in vivis manserunt. Ceterum in ambobus his animalibus post injectionem statim ructus vehementissimos ingruiisse atque vomitu plurimum massarum phos-

phorum hydrogenatum redolentium ejectum esse vidimus, quo modo quum magna illius pars e ventriculo remota esset, quamquam haec animalia tantundem, quantum quattuor reliqua, quin etiam ructibus creberrimis vel plus ejus inhalaverant, tamen mors secuta non est. Quibus autem in experimentis mors ingruit, in iis, quantum observari licuit, symptomata ante obitum animadversa prorsus similia erant illis, quae, intoxicatione ope phosphori effecta, in conspectum veniunt. Ab initio enim quaerendam exstitit irritabilitas, quae in phaenomena paralysi consimilia transiit. Memoratu dignissimum vero illud est, cadaveribus sectis, omnino eadem apparuisse, quae phosphoro ipso, praesertim ejus solutione porrecta observari soleant. Sanguis enim perquam dissolutus aut parum aut omnino non coagulatus colore tinctus erat fusco, pulmonesque similem in modum infiltrati cernebantur, nec non ecchymoses diversae utroque in casu pariter animadverti poterant.

Quae symptomatum similitudo quum jam magnopere sententiae faveat, intoxicationes, quae phosphoro mero quaque phosphoro hydrogenato non sponte exardescente producantur, ad causam eandem referri posse, tamen, ut certo eruatur, num phosphorus receptus, antequam resorbeatur, in materiam istam transformetur neene, plurimi refert, hisce rerum conditionibus in tractu intestinali illius praesentiam certo demonstrari. Quem in finem quac experimenta institui, jam subjungere nunc liceat.

#### Experimentum I.

Feli olei phosphorati grm. 10, quibus phosphori meri grm. 0,125 continebantur, in ventriculum injectis, post horas quattuor animalis mors convulsionibus comitata ingruit. Cadavere post semihoram secto, pulmones hyperaemici, in superficie sua ecchymosibus parvulis obsiti, atque cor sanguine fusco non coagulato repletum inventa sunt. Inde totus tractus intestinalis, postquam ad cardiam intestinique recti finem inferiorem ligaturis

circumdatus est, e corpore exemptus, num quid phosphori hydrogenati contineret, perquisitus est. Quem in finem talis constructus erat apparatus. Vas vitreum, in quod tubulus intrabat, tubulo altero in U litterae formam inflexo cum laguncula exploratoria ita conjunctum erat, ut alterum tubuli erus in plumbi acetici solutionem, quae lagunculac exploratoriae inerat, alterum in vas illud vitreum exiret. Pariter laguncula exploratoria prior cum altera, in quam parva argenti nitrici in aqua destillata soluti copia infusa erat, cohaerebat, ex qua laguncula altera rursus tubulus foras ducebat. — Aëris externi aditu omnino praeccluso, tubulo altero sugendo effici poterat, ut aër, qui in vase vitro inerat, fluida diversa, quae lagunculis exploratoriis continerentur, transire deberet. Vas vitreum ante argenti nitrici solutionem, qua ad praesentiam phosphori hydrogenati demonstrandam usuri eramus, idcirco plumbico acetico impletum fuerat, ut, si quid acidi hydrothionici fortasse tractui intestinali inesset, jam hic praecipitaretur, neve argenti solutionem nigram reddendo erroribus ansam praeberet. Inde, postquam merum phosphorum hydrogenatum, qui eo, quo supra diximus, modo paratus erat, per hunc apparatum perducendo de ejus utilitate nobis persuasimus, quum, plumbi acetici solutione non commutata, argenti solutio manifesto nigresceret, ea oesophagi pars, quae eum in finem ante ligaturam ventriculo juncta manserat, tubulo primo vas vitreum cum externis conjungenti superinducta firmiterque constricta est. Tum ligatura, quae cardiae circumdata erat, soluta, intestino per digitos trahendo substantiae, quae inerant, in vas vitreum propulsao sunt, ac denique, ut vaporum e vase vitro in lagunculas exploratorias transitus adjuvaretur, tubulus extremus etiam suctus est. Quo facto, plumbi solutionem paululum turbidari vidimus, id quod verisimile est ab acido carbonico, quod adfuerit, pependisse, solutio autem argenti nitrici nihil mutationis subiit. Unde apparuit, nihil phosphori hydro-

genati in tractu intestinali infuisse. Jam, apparatu per horas 16 immoto quietique dato, vapores, qui interea in vase vitro formati fuerant, iterum tubulo extremo sugendo per diversa, quae lagunculis exploratoriis continebantur, fluida perducabantur; qua in re quum et plumbi acetici solutio colore nigro tingeretur et argenti nitrici solutionem nigrescere plane cognosci posset, perspicuum erat, postea et acidum hydrothionicum et nonnihil phosphori hydrogenati efformatum fuisse.

### Experimentum II.

Eodem, quo in experimento superiore descriptum est, modo eadem phosphori copia feli ingosta est. Morte post horas 5 secuta, cadaveris sectio exemplo post obitum instituta et vias aeriferas et pulmones neutiquam mutata cordisque dimidium dextrum modica sanguinis fusci parum coagulati copia repletum ostendit. Tractus intestinalis contenta quum in apparatu modo exposito perquirerentur, plumbi acetici solutione non commutata, argenti solutionem haud parum nigrescere vidimus; unde dubitari nequit, hoc in casu phosphorum hydrogenatum intra tractum intestinalem conformatum fuisse. Quod autem plumbi solutio nullam subiit mutationem, hoc propterea haud exigui est momenti, quoniam colorem nigrum re vera ex phosphoro hydrogenato neque vero ex acido hydrothionico forsitan transgresso repetendum esse luculenter coarguit.

Quibus periculis nonnulla etiam extra organismum animalium suscepta adjicienda esse censui, in quibus id studui, ut phosphorus similibus rerum conditionibus, atque in animalibus vivis, in tractu intestinali maneret.

### Experimentum III.

Phosphori substantiae grm. 0,2, quinque frustulis parvis, in intestini tenuis bovis frustum imposuimus, intestinumque ligaturis utrumque circumdatis vasi aqua impleto immisimus, quod ad gradus 36 secundum scalam Celsianam calefactum;

eadem temperie ut mancret, aquae balneo traditum est. Quo modo quum phosphorus per horas 24 in intestino fuisset, hoc vaporibus summopere inflatum esse cernchamus. Exploratione instituta, plurimum acidi hydrothionici, neque vero quidquam phosphori hydrogenati reperire contigit.

Experimentum IV.

Eadem phosphori copia in intestini tenuis suilli frustum utrimque deligatum immissa vasi aqua impleto, temperie graduum 36 C. adaequante, imposita ibi per horas 24 relicta est. Disquisitione inde facta, plumbum aceticum turbidatum est, argenteique nitrici solutio signa praecepsit, ex quibus appareret, quum acidum hydrothionicum tum phosphorum hydrogenatum in intestino formatum esse.

Experimentum V.

Simile intestini suilli frustum, eadem phosphori copia imposta, iisdem rerum conditionibus, quibus in duobus, quae descripsimus, experimentis in horas 36 quieti datum est.

Facta inde exploratione, argenti nitrici solutio manifesto colore nigro imbuta est, plumbi acetici solutione prorsus non mutata. Itaque, haud dubie hoc in casu phosphorum hydrogenatum efformatum esse, evidenter apparuit.

Quinque his experimentis quae comperta sunt, si inter se comparaverimus, experimentum secundum in animalibus, recepto phosphoro, phosphorum hydrogenatum efformari nos edocet. In experimento primo quod rerum conditionibus prorsus similibus materiam istam non reperimus, illam celeriter resorptam esse indicat. Qui experimentorum eventus illis, quae extra animalium corpus instituimus, experimentis vel confirmatur, quoniam duabus postremis in casibus haud dubiam phosphori hydrogenati efformationem demonstrare potuimus.

In intoxicationibus ope phosphori effectis quum semper sanguinis mutationem observari constet, haud exigui momenti visum

est indagari, num haec sanguinis mutatio phosphoro hydrogenato per se provocari posset. Ad hanc quaestionem quod spectat, mihi quidem unum tantummodo experimentum antea institutum innotuit. Quod periculum a Nysten factum est, qui, ut per vestigaret, quid phosphorus hydrogenatus in venam jugularis injectus ad sanguinis arteriosi colorem valeret, arteriae carotidi sinistram canis tabulum strophinge instructum applicuit indeque, intervallis aliquot sexagesimarum interjectis, quinque phosphorum hydrogenatum injecit, quarum quidem injectionum dñabus primis centimetra eub. 20, tertia 30, quarta quintaque quadragena immisit. Qua in re, ut quattuor primis injectionibus nulla coloris sanguinis arteriosi mutatio insignis effecta est, ita post quintam arteriae carotidis sanguis minus ruber apparuit. Horae sexagesimis 15 transactis, quum rursus centimetra eub. 50 injecta essent, animali post sexagesimas 4 mortuo eodem, quo exstinctum est, temporis momento arteria cruralis aperta est, sanguisque effluens niger cernebatur. Quo in experimento tamen respiciamus oportet, phosphorum hydrogenatum, dum in sanguine versaretur, forsitan amplius mutatum fuisse, ideoque quaestionem, num ille per se non mutatus vim exhibeat, hoc experimento transigi non posse. — Quod ut nobis contingere, phosphori hydrogenati ad arteriarum sanguinem vim et effectum perscrutaturus, in vas circiter centigrammatum 100 capax sanguinem e vituli arteria carotide missum excepit, quo peragitando quum fibrinum sustulisset, finem tubuli vapores ducentis, qui est in apparatu a Rose ad phosphori hydrogenati efformationem constructo, in sanguinem immersi. Quo modo quum phosphorus hydrog. per horas duas sanguinem perfluxisset, mihi tamen, ut ullam in eo coloris mutationem animadverterem, non contigit. Neque non, microscopio in usum vocato, nullum inter sanguinem hunc sanguinemque phosphoro hydrogenato non tractatum discrimen intercedere observavimus.

Denique, e disquisitionibus supra expositis quac concludi possint, si paucis ac breviter complectimur, ad morbi symptoma quod attinet, quae intoxicatio acuta ope phosphori effecta praebeat, illis, quae ab aliis observatoribus in medium prolata sunt, nihil habeo, quod adjiciam. Quac quum ita sint, intoxicationis phosphoro effectae indoles ac natura, quemadmodum jam Schuchardt atque Lewin admonuerunt, in quadam sanguinis commutatione reposita esse videtur, quae commutatio, etiamsi exactae analyses chemicae, quibus res ad liquidum exploretur, usque ad hunc diem deficiant, tamen, quantum ex deminuta sanguinis coagulandi facultate colligere licet, minuta fibrini copia consistere credatur. Ejusmodi dissolutionem sanguinis phosphoro effici, etiam ecchymoses tam saepe in pulmonibus, in pericardio, in ventriculo atque in aliis corporis partibus inventae argumento esse possunt. Sanguinis autem tali modo dissoluti in nervos vis atque effectus brevi tempore cognoscitur, qui quidem effectus, praegressa interdum brevis temporis irritatione, quae locali inflammationis irritamento excitata est, deminuto systematis nervorum atque muscularum vigore manifestatur.

Jam, si quaestionem moveris, iste effectus utrum ipsi phosphoro per se alicui, quam inierit, conjunctioni chemicae adscribendus sit, nobis, quemadmodum supra vidimus, non contigit, ut ullam cognosceremus indolem phosphoro ipsi peculiarem, ad quam ejus vis perniciosa atque funesta referenda esse putaretur. Pariter et diversae phosphori cum oxygenio conjunctiones non eundem in modum, quo phosphorus ipse, vim suam toxicam exhibent. E contrario phosphorus hydrogenatus, quo quidem modo in usum vocatus est, ex parte altera symptoma provocavit prorsus eadem, quae phosphoro ipso porrecto observari solent, ex altera parte in tractu intestinali phosphori commutatione efformari supra cognosci potuit. Quae omnia nos

addueunt, ut cum Schuchardt, viro doctissimo, consentiamur, ex phosphoro hydrogenato e phosphoro efformato hujusc<sup>e</sup> vim perniciosa repetendam esse judicanti. Hac tantum in re facere non possumus quin sententiam a Schuchardt promulgatam corrigamus, ut solummodo phosphorum hydrogenatum sponte non exardesceret hie respiciendum esse censeamus.

Quodsi phosphorum in phosphorum hydrogenatum transformatum resorberi posse statuimus, quaestio offertur, quasnam mutationes sanguis isto subeat. Phosphorum hydrogenatum ad sanguinem tantopere mutandum, quautopere in intoxicationibus ope phosphori effectis observamus, ipsum per se valere, nobis, ut certo probaremus, non contigit. Itaque, num forte materia illa rursus in sanguine transmutetur atque aut substantiae haec mutatione productae aut processus transformationis ipse sanguinis dissolutionem efficiat, hanc quaestionem adhuc in medio relinquendam esse arbitramur. Ceterum experimentum a Lewin factum, in quo phosphorum merum in hepat<sup>e</sup> repperit, utique sententiae de phosphori hydrogenati reductione favere credatur.

## T h e s e s.

---

1. Perinaei sustentatio ad illud conservandum nihil valet.
  2. Nisi rationes locales inter feminae pelvum caputque infantis infaustae sunt, perinaeum, curatione rite adhibita, rumpi nequit.
  3. Secalis cornuti dolorum ad partum adjuvandorum causa usus ante infantis, siquidem vivus est, partum rejiciatur oportet.
  4. Portionis vaginalis longitudo pro signo diagnostico temporis graviditatis in multipara definiendi nihil valet.
  5. Substantiae amyロン continentес non sunt remedia adversus intoxicationes jodo effectas.
  6. Non est causa, cur nervus olfactorius ad nervorum sistema referendus esse negetur.
  7. Manipulatio Vindebonensis et Pragensis omnibus ceteris methodis infantis caput postremum positum ope manuum extrahendi praeponatur oportet.
-